Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 615
Quelle:
Copyright:

purpura earum initiis. At vero in harum numero ſunt *fol.* 3. Verſio *Origenis* in Cantica, *fol.* 70. Liber de Viris illuſtr. *fol.* 64. *Auguſtini* Epiſtola ad *Optatum*, quae habetur T. II. Opp. *Auguſtini* edit. *Maur. n.* CXC. *col.* 700. Opuſcula praeterea vel Literae *Hieronymo*, aliisve ſubpoſitae XIV. quas enumerare piget, cum alioquin edit. *Vallarſianae* T. XI. habeantur, quemadmodum T. I. hujus edit. genuinas noſtri *Codicis* complectitur. Earum prima eſt, titulo unciali aurato inſignis: *Damamaſi Pape Ad Hyeronimum Super Quinque Queſtionibus Libri Geneſis. Dormientem te et longo jam tempore* &c. Contuli hanc Epiſtolam cum Editione *cit.* ſpeciminis ergo, et en, quae diſcrepant:

Edit.	Cod.
ſed quod lectionis.	Rectius *quo.*
et heri.	*Etherio.* Negat *Vallarſius*, ſe hoc in ullo *Mſ.* reperiſſe, et lectionem confictam vocat. Non itaque *Codices S. Juſtinae* conſuluit.
libenter accipio.	*libenter accipiam.*
quod rogare volueram, etiamſi.	*quod volueram, ſi.*
ut ego interrogem, tu reſpondeas.	*ut et ego interrogem, et tu reſpondeas.*
quae ſubjecta ſunt, diſſere.	*quae ſubjecta ſunt, ediſſere.*
vox de coelo reſpondit.	Melius *reſponderit.*
de Aegypto reverſuri.	*de Aegypto exituri.*
in circumciſione ſuſcepit.	*in circumciſione ſuſcipit.*

Variantia, quae ipſe *Vallarſius* in *notis* adfert, non addo. Ad calcem I. hujus *Partis* purpura ſubjunctum: *Finiui hanc primam partem huius libri. legendo et emendando. die XI. July 1470.* Itaque non multo ante *Codex* exaratus fuit. Labor porro Cenſoris hujus in eo verſatus eſt, ut Vocabula graeca Textui purpureo liquore rite inſereret, σφαλματα Amanuenſis corrigeret, in margine quaedam omiſſa ſubpleret, et quorundam notatu dignorum Lectorem admoneret.

Pars II. praeſcribitur: *Rubrice Secundi Libri Continentis Epiſtolas Ad Virgines Et Mulieres Deſtinatas.* Sunt numero XLIII. neque inter eas νοθον τι praeter Epiſtolam *Pelagii* ad *Demetriadem*, et Sermonem *de Aſſumtione B. V.* quae et ipſa *Vallarſius* in T. XI. retulit. Epiſtola I. titulum prae-